+

R.de P.r in Chro

Pax Chri

Magnorum uirorum ardentibus sollicitatus precibus fores benignitatis humanitatisq. R.ae V.ae denuo pulso; si importunior sim, ignoscat rogo. Causam petitionis meae breuibus aperio. Cum magneticarum declinationum obseruationes in arte mea magnetica propositae per uniuersam Europam ab insignibus Mathematicis factae, eximijs quibusuis hic Romae Viris mirum in modum arriserint, atq. hoc ipso experimento, quantum unanimis mentium in unam rem indagandam conspiratio possit, comperierint. Magnum haud dubiè Reip. Lit. si similes obseruationes, similis animorum, cum pari industria coniuncta conspiratione instituerentur, augmentum accessurum credebant. Dum igitur felix dictarum suspiciunt obseruationum auspicium, ad aliorum similium obseruationem oculis, animisq. adspirant. Me igitur continuis sollicitantes precibus, et prae caeteris ipse Eminent.mus Cardinalis Barberinus instanter urget; ut qua industria magneticas declinationes obseruari curassem, eadem et duarum huius anni futurarum Eclipseon obseruationes institui curarem; quorum quidem aequae et laudabili postulationi refragari nefas esse duxi.

Horum itaq. nomine R.am V.am obnixè rogo, ut memoratorum uirorum uotis annuens in hoc ipso ad boni communis promotionem instituto negotio se impigrum gerat, id est Eclipsin alterutram omni diligentia ac industria obseruare non grauetur. ita autem eam obseruari uelim. Cum utraq. Eclipsis totalis sit, praecisa temporis momenta singulorum 4 punctorum inceptionis, totalis obseruationis, ex umbra emersionis, et totalis desitionis, una cum eiusdem Lunae ijsdem momentis, sicut et alterius stellae fixae ab horizonte altitudine summo studio obseruet. Quo facto obnixe rogo, ut pari studio singulas obseruatae Eclipseos circumstantias, una cum eorum, qui praesentes, et dictae Eclipsis iudices, testesq. Mathematicorum nominibus comprehensas Romam transmittere dignetur. Faciam enim, ut eae hic propediem publici iuris fiant. Quamobrem si quos peritos mathematicos amicos nouerit, eos ad eandem obseruationem faciendam omni studio extimulare non omittat. Sic fiet ut opus in bonum publicum cedens communibus etiam suffragijs instituatur. Nihil porro restat, nisi ut me R.ae V.ae SS. PP. et SS. commendem. Romae 15 Feb. 1642.

R.tiae V.rae

Seruus in Chro

Athanasius Kircher.

Reuerendo Patri in Christo

P. Jacobo Viuæ Soc: Jesu.

P. Albu[illegible]

Ingolstadij